

episcopo. Sic enim olim disposuit — velut Anacletus¹ et Leo² post eum longe ostendit —, ut³ Alexandrinus episcopus horum omnium, quæ designata sunt, habeat potestatem. Et similiter ista aequa consuetudo est Romano episcopo, ut apud Anthiochiam privilegium servetur. Et similiter ex antiquo aequa consuetudo est Romano episcopo, ut apud caeteras provincias suis privilegia servantur ecclesiis, quin metropolitanis, sicut sunt quaedam provinciæ specialiter designatae, de quibus ad Romani pontificis ordinationem ordinandi et ad eius dispositionem disponendi et ad synodum eius convenient vel consulto eo ipsius aut responsalis eius, qui vices ipsius tenet, si ad Romanum pontificem propter longinquitatem pervenire non possunt, sententiam præstolentur.

*f. 17.

4. Quae vero sint provinciæ præter sollicitudinem *omnium ecclesiarum specialiter pertinentes ad sedem apostolicam, quae mater atque magistra est omnium ecclesiarum omniumque [ecc]lesiarum^a rectorum in toto orbe terrarum, sicut superius de[si]gnatæ provinciæ pertinent ad Alexandrinam et Anthioche[na]m ecclesias, Innocentius papa ad Decentium scribens ostendit: [Qu]is, inquires⁴, nesciat aut non advertat^b id, quod a principe apostolorum Petro Romanæ ecclesiæ traditum est ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari nec superduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat aut aliunde accipere videatur exemplum. Præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque^c Siciliam insulasque interiacentes nullum instituisse ecclesias nisi eos, quos venerabilis apostolus Petrus aut eius successores constituerunt sacerdotes. Aut legant, si in his provinciis alius apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Qui si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne, dum peregrinis assertionibus studeant,

*f. 17^v.

caput institutionum videantur omittere. Sed et Hibernia insula, quam Caelestinus per Palladium ad fidem christianitatis adduxit, et omnis Brittannia, quam per Germanum Autissioderense[m]^d et Lupum Trecasinum a Pelagiana heresi liberavit⁵, gens . . . quæ^e Anglorum, quam beatus Gregorius per Augustinum e[t] eius socios

^a) Zeilenanfang zerstört. ^b) d übergeschrieben. ^c) übergeschrieben.
^d) Zeilenende zerstört. ^e) Ebenso; vielleicht quoque?

¹) Vgl. Ps.-Anacl. c. 31, HINSCHIUS S. 83 (J-K. f. § 4). ²) Vgl. HINSCHIUS S. 611 (J-K. 483). ³) Nic. c. 6, MIGNÉ 67, 148. ⁴) MIGNÉ 67, 237 f.; HINSCHIUS S. 527 (J-K. 311). ⁵) Vgl. Prosper. chron., MG. Auct. antiq. 9, 472 f.